



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinj Ordinis  
Vetustissimi Amplissimique, Nostra, ac supera ætate  
Immarcescibilis Vigor, ac Viror**

**Bucelin, Gabriel**

**[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.**

Annus Iesu Christi M.D.VIII. Sancti Patris Benedicti M.XXVIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38498**

## B E N E D I C T U S

26

*Christo-  
phorus Ab-  
bas in Wei-  
chen Ste-  
phan.*

noris Christophorus quondam A bbas in Weichen Stephan pulcherrimi prope Frisingam Cenobij, qui invitus atque reluetans ob egregia & animi & corporis talenta electus, ultro & sponte post paucos annos Præsulatum resignavit solo amore litterarum, Bononiamque profectus Pontificijque Juris Doctor creatus, insignem sacro-sancta Theologiae Professorem egit, cumque prater raram eruditionem insigni polleret eloquentia, & potentissima perorandi facultate, in Carinthiam sedens in Cella Mariana, totum se laudibus Deiparæ celebrandis devovit, Cathedram illam, omnibus Infulatorum omnium praे ferens, in quo summa omnium cum admiracione, ad confluentes peregrinos miro cum fructu verba fecit, hisce laboribus ibidem felicissime immortuus; cum non multo ante mortem ad Weichen-Stephanense suum revisisset, citemque [cui incorporatos etiam in erat, nec tanquam emeritus Abbas celebrari voluerat] magnam pecuniam summam pro condenda insigni Bibliotheca & exstruendo Deiparæ Sacello contulisset. Vita excessit eodem anno successor ejusdem, non immediatus, sed post Wolfgangum de Weix virum similiter immortali memoria dignum, Antonius, de quo Abbatum Catalogus: *Vir mirè Religiosus, humilis, mansuetus, totus amabilis, disciplina zelator, pauperum & orphanorum Pater, alter S. Martinus &c.* Ut inde animadvertas, non unius solum & alterius perditissimo saeculo, quasi rarioris in gurgite vasto eam fuisse, mentis continentiam, sed alterum ab altero, quasi successionis jure, talia exempla sequutum fuisse summae integritatis, & rarioris vita perfectionis.

*Graff.*

*Joannes de  
Weda.*

In Brauweilerensi non minus Cenobio, tantopere nunc viguit disciplina sanctioris observantia, ut inde exemplaria egregia experientur vitae Regularis à Joanne de Weda Abbe, uti hoc anno ad S. Alexandri vulgo, in Graffschaffi Monasterium Abbas est postulatus Albertus, quo cum destinati cooperatores sunt tam præclaræ functionis Collegæ Religiosi Patres Matthias de Passendorff, Joannes de Haimone, Conradus de Warbergh, Medardus ab Euskirchen & Stephano

nus de Croiff, ob egregia vita exempla merito celebrandi.

*ANNUS IESU CHRISTI M.D.VIII.  
Sancti Patris Benedicti M.XXVIII.*

*G*rande omnino [ nec minus A postolico censendum merito, quo provinciae totæ Regnaque amplissima Ordini Benedictino obstricta sunt ] æstimari ab æquis rerum Censoribus debet, quo Ordo Magni Benedicti verè Augustus, tot deinceps alios fanfiliissimos & frequentissimos Ordines, primo in ortu suo promovit & fovit, ita ut nullus uspiam post admirabilem Patrem & Patriarcham, Legislatorem nostrum consurgeret, quin fieri tanti Patris posteri, instinctu procul dubio boni Numinis mereri de singulis quamprimum aggredierentur; Quo quidem ipso, si nullo alio sanctissimus Pater noster Patriarcha Monachorum & Religiosorum omnia iure meritisimo appellaretur... Sic non tantum Cluniacenses, Cistercienses, Camaldulenses, Humiliatos, Calestinianos, Montis Virginis Olivetanos aliquaque propriè suos, sua Regule professores, eti ob multitudinem & frequentiam cuivis Reformationi nomen dantium, Ordinum nomine censos & honoratos, per seipsum plerosque, cœlo descendere viuis, novasque has sui Ordinis amplissimi Familias, Congregationis & Reformationis ipsius informare ac juvare; sed alios quoscunque diversarum Regulatum, sive per se, sive per suos, mira benignitate, liberalitate & charitate, suscipere, alere, protegere, promovere, atque exornare est comprobatus. Ita Carthusianorum perfectissimus Ordo, & ipse Jesus Institutor lectissimus S. Bruno, primum à nostris suscepitus est, & S. Hugonis nostri Gratianopolitani in Gallijs Episcopi ductu & munificentia fundamenta jecit, Carthusianos montes dono accepit, primamque, inde cognominatam Carthusiam condidit. Quamvis etiam hic ipse Ordo, eti non omnino, ut illi, accensendus tamen etiam nostris sit, ut qui nostra etiam utatur Regula, siveque inde Constitutiones composuerit, teste Innocentio Papa in Diplomate Carthusiæ Casolensi dato, & Petro Sutore Carthusiæ Priore in Annalibus, nec non hono-

*Proprium  
S. P. N.  
Benedicti  
omnes alias  
Ordines  
demejeri.*

*Recessio-  
nibus Ordines  
aliqui.*

*Carthusia-  
nos deme-  
retur Ordo  
nefer.*

gato Neapolitano & aliis: estque eorum Perfectionis nervus, in strictissima Benedictini silentij observatione,

à qua non potest non ingens Ordini Bonum obvenire, juxta illud Jacobi Apostoli: *Si quis putat se Religiosum esse non refranans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vanus est Religio* cap. 1. & cap. 3. *Lingua ignis est, universalis iniquitatis, &c.* Quod uti à Jacobo Apostolo præcipuum sui Institutio-  
nari ex post trium Votorum commendationem S.P.N. Benedictus suis tradidit,  
ita Carthusiensium Ordo peculiare etiam sibi esse voluit, & severissimis Legibus sanxit, ut alia ex Regula nostra, à carne abstinentiam & cetera prætereamus.

Ita S. Norbertus Præmonstratensis Canonorum Institutio, in Siebergeni Illustrissimo Ordinis nostri Cœnobio, prima sanctitatis fundamenta jecit, & eodem, pulsante temptationibus, saepè redit, Conone in primis Abbatem, admiranda sanctitatis viro, familiariter usus, apud quem [ ut Joan la Paige Norbertinus affirmat ] tyrocinii quedam future conversionis agressus est &c. Idem juxta Regulam S. P. N. Benedicti primum suos dirigens, idem Monastico cum suis schemate, scapulari scilicet, Canonici alias insitato volens insigniri. Idem Præmonstratum ipsum, à quo totus cognominatus est Ordo à Bartholomæo nostro Laudunensi Episcopo, dono accepit, primumque illic & Princeps sua sacrae familie Archisterium, ejusdem Pontificis Munificentia condidit.

Similiter sub hoc ipsum Divi Norberti & B. Juonis Carnotensis tempus, exortus primum Canonorum Regularium juxta Regulam Divi Augustini, sed & Heremitarum sub eadem lego Ordo [ cum tunc primum Regula eadem ex Epistola quadam ad Moniales quasdam scripta extraheretur, & in certa distingueretur capita, prædictaque Ordines juxta Eamdem instituerentur ] ipsum Benedictinis Diuum Augustinum debuere, cum sacrum ejusdem Ecclesie Doctoris corpus, quod trecentos ante annos Luitprandi Regis dono Patres nostri acceperant, novis Augustiniani nominis & Regulæ Religiosis, gratis concederent, eternaque sibi amore tanti Doctoris Cul-

tores obligarent. *Ant. de Jepes Conf. Caiet. Frider. Rozzenb. &c.*  
Similiter Magnus ille Dominicus, Prædicatorum Ordinis celeberrimi Institutio sanctissimus, ut nasceretur sancto Dominico nostro de Silos debutit, ad cuius tumulum Joanna mater enixis precibus, ipso apud Numen intercedente, tantum filium impetravit, à quo & Dominicum cognominari voluit. Idem apud Nostrros in sancti Petri prope Gumialem institutus, ubi fratrem germanum Beatum Maimertum de Guzmano habuit, eus loci Abbatem meritissimum, instructorem autem Beatum Didacum, ex Monacho ejusdem loci creatum postea Episcopum Oxomensem. Ita idem Divi Dominici institutum, beatus Henricus ex Abate clara Vallis S. R. E. Cardinalis, pro virili contra obrecessores propugnavit, & ob idipsum à Deipara apparente & gratias agencie laudatus fuit. Unde colligas licet, quam gratus uterque Cœli Augustæ fuerit? Et quantum quod septingentis post Diuum Benedictum annis, hunc ipsum Psalterium B. M. V. prædicantem Dominicus imitatus sit? tantumque & orbem terrarum universum, & hujus Imperatricem demeruerit? Sed & Diuum Thomam Aquinatem Landolphus patruus Casini Abbas educavit Ascetaque ibidem litteris adusque Theologica studia, in his autem Neapoli quoque nostri ipsum instituere. Ex Ptolomeo Lucensi ipsius Confessario. Ita Seraphicum, ille, Francicum Hugolinus noster sanctæ Romanae Ecclesie Cardinalis, postea Gregorius IX. Pontifex Maximus in condenda sua Regula juvit. Ita idem Legum lator primum suum Monasterium Mariae Angelorum, Portiuncule deinde dictum, dono Casinenium Ascetarum accepit, & ut grati animi argumentum omnis sua sacra posteritas ostenderet, offerri à suis è proximo riuulo aliquot in singulos annos, pesciculos voluit, & iulit, quos usque hodie anniversariâ debiti & agnitionis contestatione, Portiuncule Patres Casinatibus offerrunt, singularē erga nostros observantiam contestati. Sed & B. Raynerius è Benedictino S. Francisci alumna, ejusdem postea arbiter conscientia fuit.

Dominica-  
nu quan-  
tum Ordo  
nostrer pr.  
flitem?

Quid Fran-  
ciscanus ab  
Ordine no-  
stro obtige-  
rit?

## BENEDICTUS

*Quid de Capucini.*

Ita posteri ejusdem, ex minimo maximi Francisci Reverendi Patres Capucini, à nostris primum benevolè suscepiti, adjuti & contra omnes novaræ Reformationis adversarios propugnati sunt. Ut nihil de alijs memorem beneficijs, quæ cùm isti, tum alij Ordines universi, & novissimi, pares tamen antiquis & primis facti, sanctissimæ JESU Societatis Patres, de quibus suo loco, à Benedictinis acceperæ, adeoque magno Religiosorum Patriarchæ Beneficeto debere se, ultro confitentur...

*Quid de Ordine Minorum.*

Nunc vero, cujus gratia hæc compendio enumerata fuerunt de Ordine loquemur, qui dicitur *Minorum*, quem non minus, & sub ipsa initia, & hoc præsenti, quem tractamus, anno, quam alios omnes, quantis poterant beneficijs, nostri sibi, & Archiduci suo Benedicto, obstrictum volvere.

Eius INSTITUTOR alter fuit, non minus sanctitate secundus, quam cognominatio, ipsaque nominis felicitate. Franciscus iste quem à Patria Calabriae Oppido Paulanum dixere, vir per omnia & ipse maximus, etiam cum MINIMUM sese dici & suos omnes voluit. Hic in Monasterio quodam, juris similiter Casinatis, vitæ Religiose rudimenta posuit. Inde Casinum secedens, rogata, patrum Casinensis ope & cura, in vicina solitudine sub Magisterio & directione eorumdem, quatuor se ferè annis sancte exercuit. Rursus Casinum conscendens, quasi petita ad tumulum Patriarchæ nostri licentia, & benedictione, atque inde discedens, paulo post sui Ordinis fundamenta jecit, & plurima è Regula nostra in suas Leges transstulit. ita Nicolaus Montoia in Chronico ejusdem sacrae Religionis. Decessit superiore anno M. D. VII. Franciscus, non minus hoc ipso tempore, & post obitum quam in vita à nostris cultus, & in suis adjutus: cui hoc ipso anno in administrando universo Ordine, *Generalis*, ut vocant, *Corrector* successit beatae memorie Franciscus Binetus, professione olim Benedictinus, Prior Monasterij S. Mamertini, qui de sui licentia Domini Abbatis, sanctissimo viro indissociabilis adhaesit, ei que grandi merito, quo erat Zelo &

eruditio in condendis Regulis fideli ac diligentia opera adstitit, aeternis deinde meritis, cum alter à Francisco Ordinis Generalis esset, universo non tam profuit quam profuit, & sacram illam Familiam mirifice promovit.

Estque non minus ad mutua Mimirum ac Benedictinorum necessitudinis commendationem: eorumdem Authoris & Parentis sanctissimi, primum omnium discipulum è nostris fuisse Bernardum Bucillium, Bucillium nostri Montferratenis, Novi Orbis primi Apostoli & Patriarchæ patrum, & ipsum Ejusdem Montis Serrati Religiosissimum Monachum, qui præter alia virtutis merita, sacram MINIMUM Familiam longè maximo merito demeruit, meritus ejusdem sanctissimi Ordinis fieri Proto Martyr; cum in Hispanias missus, illic pro Religioni à Mauris cum socio occidetur.. Videatur Nicolaus Montoia in Chronico citato, Antonius de Jepes alijque.

In Monasterio sacrae Insulae Liriensis Monachum hoc anno profiteatur veneranda memoriae Dionysius Faucherius, vir Religione & eruditione maximus, Reformationis deinceps Benedictinæ, perditissimo hoc seculo, promotor singularis, idem maximis Principibus multo nomine commendatissimus, ab ipsis Romanæ Ecclesiæ Cardinibus summo in pretio & respectu habitus, cujus merita suo loco celebrabimus. Ex Chronico Liriensi.

In Germania nostra celebratur ab eximis vita meritis Antonius Levenius Ultrajectinus laudatissimus S. Matthiae prope Treveros Abbas, & florissantissima sub ipso Cœnobij disciplina, extantque binæ Joannis Thitemij Epistolæ, altera Antonio inscripta, super laudibus Joannis Brachitij, & eximis virtutibus, altera ad Eberhardum de campis, Encomiastica ejusdem, Brachitij nuper defuncti, simulque Eberhardum quam simillimum deprendicantis.

*ANNUS IESU CHRISTI M.D. IX.  
sancti Patris Benedicti MXX. IX.*

*V* Allumbrosanæ Congregationis nostræ, quamvis perpetua observantia, constans semper viguerit, san-

*Bernardus  
Bucillus.*

*Dionysius  
Faucherius.*

*Antonius  
Levenius  
Abbas.*

*Allumbrosanæ  
Congregationis  
nostræ, quamvis  
perpetua obser-  
vantia, constans  
semper viguerit,  
san-*

*S. Franci-*

*eus de Pa-*

*dus.*

*Franciscus*

*Binetus no-*

*ster.*